Fæmina vivacior viro.

VT ferrum, sic vita viri si candeat actu,
Si non; hinc æstum contrahit, inde situm,
Vtrinque exitium. Requie frigescit, at actu
Æstuat; & nil, quo fata retardet, habet.
Non sic momentis fati dependet iniquis
Fæmina, quæ lancem tardiùs ire sinit.
Non coëunte gelu torpet, non solvitur æstu:
Se contenta, foris nil petit aut patitur.
Hinc est, quòd privis Laribus concluſa perennet,
Quos non ad biduum vir sine morte colat.
Hinc oleo medici similant, quòd frigora solvat,
Vulcanoſq; graveis ceu Venus arte domet:
Et si fortè calor cum frigore iurgia miscet,
Protinùs obsequiis blandula conciliet.
Vitalis non est res vlla tenacior auræ,
Quæ fatis fato sæpiùs esse solet.

ERGO

Ne satagat porrò querula de coniuge; quæ se
Queſta mori est, non vult ingeniosa mori.

Nullus homini à natura sermo.

VErba notæ rerum, mentis commenta, tenendis
Cætibus apta locum non, vbi nata, tenent.
Verba notæ rerum cùm sint, si dixero nasci,
Innumeris rebus cur numerata darem?
Cur non quæque suæ res vocem gigneret, & se
Æquali vocum proderet ex numero?
Atque Syrè, Græcè, Thuscè quò discimus, orbi
Si, quæ sufficerent, patria verba forent?
Si simul omnipatens mater sit, & omnidiserta?
Rebus si indigenis vnica lingua subest?
At secùs in fatis. Nec, si αὐτοχθονία * ovare s,
Indigenis cunctis propria verba dares?
Nonnullis tamen invenias nativa. Nec istud.
Nam nulla ex proprio est vox oriunda sinu.
Vnde igitur? De mente. Nec hinc nativus. Essent
Nam frustrà, absq; quibus mens sibi ritè sapit.
Vt discat, doceat, societur cætibus, inde
Mens facta est propriæ Dædala prima notæ.

* *Pindar. Olod. 2.* Αὐτοχθονία ab ἔχειν & χθὼν *ovum.*

ERGO

Nunc tandem nobis sordescat fabula, surdo
Natus a nullo posse docente loqui.

Mr Carrier of Bemerton

BIBLIOTHECA BODLEIANA